LECTIONES SELECTÆ;

OR,

SELECT LATIN LESSONS,

IN

MORALITY, HISTORY,

AND

BIOGRAPHY:

Adapted to the Capacity of Young Beginners.

1829

Latin. 6

By the Rev. JOHN ADAMS, A. M.

AUTHOR OF

THE HISTORY OF GREAT BRITAIN, ELEMENTS OF USEFUL KNOWLEDGE, ELEMENTS OF READING, &c. &c.

THE NINTH EDITION.

LONDON:

PRINTED FOR LAW AND WHITTAKER,
AVE-MARIA-LANE.

BY J. MARTIN, LYMINGTON.

1816.

ADVERTISEMENT

TO THE

NINTH EDITION.

THE favourable reception this little Work has experienced in some of the most respectable Academies, induced the Author to improve the present Edition, by construing the select sentences, adding a PARSING to the first part, for the use of young beginners, and the names of the Authors from whom he has selected the sentences; likewise the periods to which they relate, as far as he could trace them with certainty. But as objections may

arise in some Schools to the TRANSLATION, and PARSING being annexed to the Latin, they are separately bound, and may be adopted or rejected at the discretion of the Tutor. It is hoped these improvements will render the Work in some measure worthy the patronage of a generous Public.

PARS PRIMA.

Breviores Selectæ Sententiæ.

I.

DEUS gubernat.
Præceptor docet.
Puer legit.
Deus gubernabit mundum.
Præceptor docebit discipulos.
Pueri legerunt libros.
Virtus præbet maximam felicitatem.
Virtus dat dulcem tranquillitatem.
Rex habet fortes milites.
Reges habent magnos exercitus.
Oculus videt pulchros flores.

II.

Homines pii timent Deum.
Ver jucundum delectat animum,
Probitas vera nobilitat hominem.
Modestia dulcis ornat fœminam.
Parva scintilla excitavit magnum incendium.
Aves multæ struunt nidos.

Bellum crudele devastat magna regna.
Pueri inconsiderati lacerant libros.
Lupus rapax occidit innoxium agnum.
Crescentem sequitur cura pecuniam.
Nauta videt mare turgidum.

III.

Dominus est noster Deus.
Ego sum discipulus. Tu fies poeta.
Virtus est suum præmium, et invidia sua pœna.
Vulpes sunt astutæ. Servi sunt veloces.
Lepus est timidus. Tigris est ferox.
Religio est summa sapientia.
Temperantia est optima medicina.
Virtus est sola nobilitas,
Rex est bonus. Regina est formosa.

IV.

Lex naturæ est lex Dei.
Vita hominum est mors sine virtute.
Amor doctrinæ est ornamentum pueri.
Timor Domini est initium sapientiæ.
Consensus hominum est vox naturæ:
Desidia turpis est parens paupertatis.
Pueri parvi discunt legere.
Pueri ignavi volunt dormire.
Memento mori. In cœlo quies.

Hominibus prodesse natura jubet.
Fortuna favet fortibus et bonis.

V.

Deus præcipit nobis nocere nemini.
Bonus favet bonis, et invidet nemini
Discipuli scribent bonis pennis.
Interfecit hunc fortem virum gladio.
Cicero scripsit suo eleganti more.
Terra nutritur lentis pluviis.
Dux fortis pugnabit et vincet.
Honora patrem tuum, et matrem tuam.
Pueri stulti amant nec libros, nec scholam.
Horæ, dies, et menses, sunt partes anni.

VI.

Homo, qui est amicus meus, odit vitium.
Virgo, quæ amat me, est bona et pulchra.
Aurum, quod fulget, hominibus nocet.
Deus, quem colimus, est omnipotens.
Urbs, quam Romulus condidit, vocabatur Roma.
Argentum, quod omnes petunt, est utile.
Quot sunt elementa? Quatuor;
Ignis, aër, terra, et aqua.
Quot sunt tempora anni? Quatuor;
Ver, æstas, autumnus, et hyems.

VII.

Non fortunâ homines æstimabo, sed moribus.
Sibi quisque dat mores; casus dat conditionem.
Magnos homines virtute metimur, non fortunâ.
Dulce et decorum est pro patriâ mori.
Nemo mortalium omnibus horis sapit.
Meus filius imperat matri, illa mihi.
Pulchrum est bene facere, etiam bene dicere.
Multæ et variæ sunt artes animi.
Literæ adolescentiam alunt, et senectutem oblectant.
Regis quisque intra se animum habet.

VIII.

Sermo animi est imago. Fronti nulla fides.
Si ad naturam vives, nunquam eris pauper.
Si ad opinionem vives, nunquam eris dives.
Concordiâ parvæ res crescunt.
Avaritia est radix omnium malorum.
Homo doctus in se semper divitias habet.
Multa cadunt inter calicem et labra.
Qui hodiè rex est, cras morietur.
Nil tam incertum est, quàm animi multitudinis.
Medio tutissimus ibis. Spe vivimus.

IX.

Deus nobis hæc otia fecit.
Tuus jam regnat Apollo.
Frigidus latet anguis in herbà.
Nuper me in littore vidi.
Nihil mea carmina curas.
Nil mortalibus arduum est.
Non est tua tuta voluntas.
Cadunt altis de montibus umbræ.
Trahit sua quemque voluptas.
In me mora non erit ulla.

X.

Vive memor lethi; fugit hora.
Dum loquimur, fugerit invida ætas.
Carpe diem, quàm minimum crecula postero.
Placeant nobis ante omnia sylvæ.
Hic ames dici pater atque princeps.
Per insidias iter est formasque ferarum.
Fas est et ab hoste doceri.
Animus meminisse horret luctuque refugit.
Sperne voluptates; nocet empta dolore voluptas.
Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem.
Sed tu sapientius opta.
Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

XI.

Gloria mundana nihil est nisi visio vana.
Sit nox cum somno, sit sine lite dies.
Luna regit menses, orbem Deus ipse gubernat.
Nil nostri miserere; mori me denique coges.
Nunc frondent sylvæ; nunc formosissimus annus.
Nemo in sese tentat descendere, nemo!
Sors tua mortalis: non est mortale quod optas.
Quæ regio in terris nostri non plena laboris?
Vince animos, iramque tuam, qui cætera vincis.
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.
Nil tam difficile est, quod non solertia vincat.
Sit liber dominus, qui volet esse meus.
Arma antiqua manus, ungues, dentesque fuerunt.

XII.

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Fraxinus in sylvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis.
Dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cæli spatium non amplius ulnas.
Ante mare et terras, et quod tegit omnia cœlum,

Unus erat toto naturæ vultus in orbe:
Quem dixére chaos; rudis indigestaque moles.

XIII.

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves.
Est via sublimis, cœlo manifesta sereno:
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso.
O formose puer, nimium ne crede colori.
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Conticuêre omnes, intentique ora tenebant:
Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto:
Infandum, Regina, jubes renovare dolorem.

XIV.

Quid magis est saxo durum, quid mollius undâ?
Dura tamen molli saxa cavantur aquâ.
Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem:
Nec tecum possum vivere, nec sine te.
Ira furor brevis est. Animum rege; qui, nisi paret,
Imperat; hunc frænis, hunc tu compesce catenâ.
Nos patriæ fines, et dulcia linquimus arva;
Nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbrâ,
Formosum resonare doces Amaryllida sylvas.

XV.

Non est, crede mihi, sapientis, dicere, "Vivam;"
Sera nimis vita est crastina: vive hodie.
Poma dat autumnus, formosa est messibus æstas:
Ver præbet flores, igne levatur hyems.
Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ:
Lac mihi non æstate, novum non frigore defit.
Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres. O beate Sesti,
Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam.

XVI.

Scalpellum, calami, atramentum, charta, libelli,
Sint semper studiis arma parata tuis.
Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi?
Libertas: quæ, sera tamen, respexit inertem;
Candidior postquam tondenti barba cadebat;
Respexit tamen, et longo post tempore venit.
Celsâ sedet Æolus arce, et ventos imperio premit.
Ni faciat, maria, ac terras, cœlumque profundum,
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.

PARS SECUNDA.

Longiores Selectæ Lectiones.

I.

DONEC eris felix, multos numerabis amicos;
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

II.

Ut ad cursum equus, ad arandum bos, ad indagandum canis; sic homo ad intelligendum et agendum, natus est.

III.

Non modo reticere parentum injurias, sed etiam æquo animo ferre, oportet.

IV.

In scientiâ excellere pulchrum putamus; labi autem, errare, nescire, decipi, et malum et turpe ducimus.

V.

Quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis; sic sapientes fortunæ impetum, superare non possunt.

VI.

Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit, umbrosamque ripam.

VII.

Philosophia, mater omnium bonarum artium, nos primum ad Dei cultum, deinde ad jus hominum, tum ad modestiam, magnitudinemque animi erudit.

VIII.

Parvula magni formica laboris
Ore trahit quodcunque potest, atque addit acervo,
Quem struit haud ignara, ac non incauta, futuri.

IX.

Ut hirundines æstivo tempore præstò sunt; frigore pulsæ recedunt: ita falsi amici sereno vitæ tempore præstò sunt; simul atque hyemem fortunæ viderint, avolant omnes.

X.

In summo imperatore quatuor hæ virtutes inesse debent; scientia rei militaris, virtus, auctoritas, felicitas.

XI.

Nullum munus Reipublicæ afferre majus meliusve possumus, quam si doceamus atque erudiamus juventutem.

XII.

Nostra nos patria delectat: cujus rei tanta est vis, ac tanta natura, ut sapientissimus vir immortalitati anteponat Ithacam, in asperrimis saxis affixam.

XIII.

Quæ natio non comitatem, non benevolentiam, non gratum animum diligit? quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non odit?

XIV.

Veteres Romani, acceptâ injuriâ, malebant ignoscere, quàm persequi. Plus penē auxerunt imperium parcendo victis, quàm vincendo.

XV.

Nihil est, non dicam in homine, sed in omni cælo atque terrâ, ratione divinius; quæ, cum adolevit atque perfecta est, nominatur ritè sapientia.

XVI.

Servi, qui domino clementi et benigno usi fuerint, pro domino parati erunt porrigere cervicem, et periculum ei imminens in seipsos avertere.

XVII.

Pater nullum clarius potest relinquere monumentum sui, quàm si filium relinquat effigiem morum, virtutis, constantiæ, pietatis, ingenii.

XVIII.

Nihil est tam regium, tam liberale, tamque munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis homines.

XIX.

O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam,

contraque omnium insidias, facile se per seipsam defendat.

XX.

Invidiæ domus est imis in vallibus antri;
Sed quoquò ingreditur, florentia proterit arva,
Exuritque herbas, et summa papavera carpit.
Quò non livor adit?

XXI.

Urbem cuidam Alexander donabat. Cum ille, cui donabatur, tantum munus recusaret, diceretque non convenire fortunæ suæ; Non quæro, inquit, quid te accipere deceat, sed quid me dare.

XXII.

Quid præcipuum in rebus humanis est? Vitia domuisse. Hâc nulla est major victoria. Multi sunt, qui urbes, qui populos habuere in potestate; paucissimi, qui se.

XXIII.

Si metuis, si prava cupis, si duceris irâ,
Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas

Interiùs leges. Tunc omnia jure tenebis,
Cùm poteris rex esse tui.

XXIV.

Adversùs Hannibalem callidum imperatorem toties victorem, dux à Romanis electus Q. Fabius, novam vincendi artem commentus est, non pugnare, et hostem morâ frangere. Unde Cunctator est dictus.

XXV.

C. Julius Cæsar, qui victoriâ clementissimè usus est, cum scrinia deprehendisset epistolarum ad Pompeium missarum ab iis, qui videbantur in diversis fuisse partibus, legere noluit, sed combussit.

XXVI.

Messis erant primis virdes mortalibus herbæ;
Quas tellus, nullo sollicitante, dabat.
Et modò carpebant vivaci cespite gramen;
Nunc epulæ tenerâ fronde cacumen erant.

Postmodò glans nata est; bene erat jam
glande repertâ;
Duraque magnificas quercus habebat
opes.

XXVII.

Antimachus Clarius poeta, cùm, convocatis auditoribus, legeret eis magnum volumen suum, et eum legentem omnes præter Platonem reliquissent, legam, inquit, nihilominùs: Plato enìm mihi unus instar est omnium.

XXVIII.

In nemus ire juvet; pressisque in retia cervis,
Hortari celeres per juga summa canes;
Aut tremulum excusso jaculum torquere
lacerto,
Aut in gramineâ ponere corpus humo.
Sæpe juvet versare leves in pulvere currus,
Torquentem frænis ora feracis equi.

XXIX.

Lycurgi leges laboribus erudiunt juventutem, venando, currendo, esurien-

do, sitiendo, algendo, æstuando. Spartæ pueri sic verberibus accipiuntur, ut multus sanguis exeat: quorum non modò nemo exclamavit unquam, sed ne ingemuit quidem.

XXX.

Corpus humanum propè utì ferrum est. Ferrum, si exerceas, conteritur; si non exerceas, tamen rubigo consumit. Item homines exercendo videmus conteri: si nihil exerceas, inertia plus detrimenti affert, quam exercitatio.

XXXI.

Quotidiè ad rationem reddendam vocandus est animus. Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: "Quod hodie malum tuum sanâsti? Cui vitio obstitisti? Quâ parte melior es?"

XXXII.

Alexander ille magnus, cùm in Sigæo ad Achillis tumulum adstitisset; O for-

tunate, inquit, adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris! At verè: nam nisi Ilias illa extitisset, idem tumulus, qui corpus ejus contexerát, nomen etiam obruisset.

XXXIII.

Cum Philippus Methonem urbem oppugnaret, in prætereuntem sagitta jacta de muris dextrum ejus oculum effodit. Quo vulnere nec segnior in bellum nec iracundior adversùs hostes factus est: adeo ut pacem deprecantibus dederit, et mitis adversùs victos fuerit.

XXXIV.

Diogenes Alexandro roganti, ut diceret si quid sibi opus esset, respondit; Nunc quidem paululùm à sole absis. Offecerat videlicet apricanti. His auditis, Alexander; Nisi Alexander essem, inquit, libenter essem Diogenes.

XXXV.

Cicero S. D. Terentiæ suæ. Ad cæteras meas miserias accessit dolor et è

Dolabellæ et Tulliæ valetudine. Omnino de omnibus rebus nec quid consilii capiam, nec quid faciam, scio. Tu velim ut tuam et Tulliæ valetudinem cures. Vale!

XXXVI.

Cùm Publius Rutilius Rufus amici cujusdam injustæ rogationi resisteret, atque is per summam indignationem dixisset; Quid ergò mihi opus est amicitiâ tuâ, si quod rogo, non facis? Imo, respondit Rutilius, quid mihi tuâ, sì propter te aliquid injustè facere me oporteat?

XXXVII.

Nero quæsitissimis pænis affecit Christianos. Auctor nominis ejus Christus, Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Christiani quidem ferarum tergis contecti, laniatu canum interibant, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecerat dies, in usum nocturni luminis urebantur.

XXXVIII.

Deus creavit cœlum et terram, et omnia quæ sunt in eis. Fecit solem, lunam, et stellas. Mare, fluvii, et sylvæ, sunt opera ejus manuum. Omnia animali a facta sunt ab eo. Formavit hominem ex pulvere terræ, et dedit illi viventem animam. Creavit eum ad suam imaginem, et fecit eum dominum mundi quem fecerat.

*A. C., 4004.

XXXIX.

Mundus gubernatur a Deo. Nihil accidit sine ejus permissione. Videt omnes nostras actiones, et audit omnia nostra verba. Cogitationes cordis sunt cognitæ huic. In eò vivimus; dedit nobis vitam; et sine eo non possumus spirare. Ubicunque sumus, Deus est nobiscum. Cùm sedeamus in domo, Deus est ibi; et cùm ambulemus in via, est ad nostram dextram. Est Spiritus, et complet cælum et terram.

* A. C. is put for *Ante Christum*, before Christ.

XL.

Quùm Deus videt omnia, debemus vivere bene. Omnes qui sunt boni, sunt amici Dei. Amat eos, et dabit iis omnia bona. Erunt beati in hoc mundo; et, cùm moriuntur, habitabunt cum Deo in cælo in æternum. Sed Deus odit omnes qui dicunt mala verba, et faciunt malas actiones. Erunt infelices dum vivunt, et, post mortem, expellentur ab eo ad locum tenebrarum. Habebunt nullos alios comites nisi Diabolum et malos spiritus.

XLI.

Adamus fuit primus homo, et Heva prima mulier. Habuerunt multos filios et filias. Cainus fuit primus filius, qui fuit pessimus homo; itaque Deus odit eum. Sed frater ejus Abel fuit optimus homo; itaque Deus amavit eum. Cainus fuit primus, qui effudit humanum sanguinem. Occidit fratrem suum Abelem, quòd esset melior ipso. Sed erat semper miser postea.—Nunquam habuit quietam mentem.

A. C. 3875.

Historia Sacra.

XLII.

Troja fuit celebris urbs. Cùm Priamus esset rex, Græci venerunt ad urbem. Obsederunt eam decem annos sine successu. Non poterant capere eam vi quòd muri ejus essent alti et lati. Sed tandem capta est dolo lignei equi. Hic equus, completus armatis hominibus, admissus est in urbem ut donum Minervæ. Mediâ nocte, cùm omnes dormirent, armati homines exiêrunt utero equi, et incenderunt urbem.

A. C. 1184.

XLIII.

A. C. 753. Romulus condidit urbem Romam. Incolæ nominabantur Romani, et habebantur fortissimi viri. Amaverunt patriam, et ad eam defendendam pugnaverunt. Mori quàm libertatem amittere maluerunt. Mors fuit carior iis quàm vita. Multa bella cum Carthaginiensibus vario successu gesserunt. Tandem Carthaginienses victi sunt, et urbs Carthago deleta est.

A. C. 146.

XLIV.

Cùm Deus videret hominum malitiam esse magnam, diluvium super terram misit. Totum genus humanum aquis deletum est, præter Noacum, virum justum et perfectum, qui invenit gratiam coram Domino. Hic servatus est in magno navigio, sive arcâ, unà cum uxore suà, filiis, et filiorum uxoribus. Duo animalia cujusque generis etiam servata sunt. Diluvium evenit anno mundi millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto.

A. C. 2348.

Historia Sacra.

XLV.

Phillipus Macedoniæ rex habuit filium, cujus nomen fuit Alexander. Alexander Magnus ferè appellatur, ob multas et magnas victorias. Studuit sub Aristotele claro philosopho et fecit maximos progressus in literis. Vicit totum mundum; et, cùm ità fecisset, non fuit contentus: nam flevit quòd non haberet alium mundum quem vinceret. Tandem factus est adeò su-

perbus, ut vellet coli pro Deo. Mortuus est Babylone trigesimo tertio anno ætatis, postquam regnâsset duodecim annos. *Quintus Curtius*, A. C. 323.

XLVI.

Post diluvium sermo hominum erat idem. Omnes, qui in terrâ fuerunt, eâdem linguâ utebantur. Constituerunt facere sibi civitatem et turrim, cujus culmen ad cælum pertingeret. Dominus autem descendit, ut videret civitatem et turrim quam Adami filii ædificabant. Statim confudit eorum linguam, ut nemo intelligeret vocem proximi sui. Sic illos in universas terras divisit, et turrim ædificare cessaverunt. Idcircò nomen ejus vocabatur Babel, quià ibi hominum lingua confusa est, et Dominus dispersit eos in cunctas regiones orbis. A. C. 2247.

Historia Sacra.

XLVII.

Solomon, filius Davidis, regis Israëlis,
A. C. sapientissimus hominum fuit.
1000. Successit patri in regno. An-

teposuit sapientiam divitiis et honoribus. Et quòd ità fecerit, Deus non solùm dedit ei sapientiam, sed etiàm divitias et honores. Fama sapientiæ ejus perlata est ad aures reginæ Sebæ, quæ venit ad Hierosolymam, ut eum videret et audiret. Sapientia ejus apparet in Proverbiis, et in libro qui Ecclesiastes appellatur.

Historia Sacra.

XLVIII

Anno quingentissimo decimo tertio, ab urbe Romà conditâ, bellum renovatum est inter duas respublicas, Romam et Carthaginem, et gestum vario successu et mari et terrâ. Tandem pax facta est. Carthaginienses polliciti sunt tradere Romanis omnes eorum captivos sine pretio. Sic finitum est primum Punicum bellum, quod viginti quatuor annos duraverat. Romani paulò pòst Sardiniâ potiti sunt. Nunc pacem habuerunt cum toto mundo, et Jani templum clausum est. Sed, post quinque annos,

A. C. 241.

recens bellum exarsit cum Illyriis, qui Dalmatiam incoluerunt. *Eutropius.*

XLIX.

Eodem ferè tempore Romani gesserunt bellum contra Gallos. Galli transiêrant Alpes cum magno exercitu, et ingressi erant in Italiam. Vastaverunt agros longè latèque, donec venirent intra tridui iter urbis Romæ. Deìn Romani iis obviàm progressi sunt, et primo impetu in fugam verterunt. Postero die, prælio redintegrato, Galli fuerunt victores, et conciderunt magnum numerum hostium. Sex annos bellum gestum est. Tandem autem Galli penitùs victi sunt a Marco Marcello, Romano dictatore. *Eutropius.*

L.

Filii Jacobi vendiderunt fratrem suum Josephum mercatoribus in Egyptum euntibus, quòd somniaret se fore majorem ipsis. Ibi interpretatus est somnia Pharaonis regis, qui fecit eum maximum hominem

A. C. 1728.

in regno. Omnes huic paruerunt, et nihil factum est sine ejus consensu.—Post aliquot annos, Josephi fratres venerunt in Ægyptum ad emendum frumentum, quòd esset fames in agro Chanaanis. Flexerunt se coram Josepho, qui fuit princeps in illâ regione. Sic Josephi somnia completa sunt.

Historia Sacra.

LI.

Cùm Josephus faceret se cognitum fratribus, flevit, et dixit iis; "Ego sum Josephus; pater meus adhuc vivit?" Et fratres non poterant respondere huic, turbati ad ejus conspectum; quibus ille clementer inquit, "Accedite propè ad me." Et cùm accessissent propè, dixit, "Ego sum Josephus frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Nunc igitur ne sitis irati vobis, quòd vendidistis me: Deus enim misit me ante vos pro vestrâ salute. Nam jam duos annos fames fuit in terrâ; et adhuc sunt quinque anni, quibus nec possumus

A. C. 1706.

arare nec metere. Voluntate Dei hùc missus sum, ut multorum vitæ servarentur." *Historia Sacra.*

LII.

Deus sic dilexit mundum, ut daret suum unigenitum Filium, ut quicunque credit in eum non pereat, sed æternam vitam habeat. Deus enìm non misit suum Filium in mundum ut condemnaret mundum, sed ut mundus servaretur per eum. Mortuus est pro nostris peccatis, et resurrexit pro nostrâ justificatione. Ascendit in cælum, ubi sedet ad dextram Dei, et agit nostram causam cum Patre. Citò veniet in nubibus cæli, cum sanctis angelis, judicatum vivos et mortuos. A. M. 4004.

Historia Sacra.

LIII.

Virgilius fuit unus ex optimis poëtis inter Latinos. Natus est Mantuæ, urbis Italiæ. Omne genus doctrinæ magnâ diligentiâ studuit. Æneis ejus est excellentissimum poema, et auctorem ejus

immortalem reddit. Vir fuit summâ humanitate et benevolentiâ. Fuit amicus omnibus, qui amicitiâ ejus indigebant. Habitus est tanto honore a senatu et populo Romano, ut, cùm versus ejus legerentur in theatro, omnes starent: tanta fuit opinio pulchritudinis et elegantiæ versuum. Mortuus est Brundusii, quinquagesimo quarto ætatis anno. A. C. 19

LIV.

Titus Livius, qui Romanam scripsit historiam, natus est Paduæ in Italiâ. Regnante Augusto, Romam venit et, jussu illius imperatoris, Romani imperii historiam scribere cœpit. Post Augusti mortem, Paduam rediit, et magnis honoribus acceptus est. Princeps historicorum appellatur. Dicitur illum fuisse tam magnum ingenio, quam Romani imperio fuerunt. Mortuus est quarto anno regni Tiberii, et decimo quinto Domini nostri Jesu Christi.

LV.

Deus constituit diem, quo judicabit mundum per Filium suum Jesum Christum. Omnes, qui unquàm vixerunt in terrâ, coram eo apparebunt. Juvenes et senes, divites et pauperes, sapientes et ignari, audient sententiam ab ejus ore. Separabit bonos a malis, sicùt pastor separat oves a capris. Dabit cuique secundùm opera sua. Boni homines accipient coronam gloriæ, et hæreditabunt vitam æternam. Sed mali homines mittentur in sempiternam pœnam. *Historia Sacra.*

LVI.

Ægyptii antiqui fuerunt clari inventione artium et scientiarum. Multi docti viri Græciæ eò profecti sunt causâ scientiæ. Quàm dives Ægyptus esset, ingentes pyramides et alia insignia monumenta ostendunt. Incolæ coluerunt non tantùm solem, lunam et sidera, sed etiàm bestias et aves. Regio est calida, et rarò recreata imbribus. Sed

fluvius Nilus quotannis eam exundat, et solum fertile reddit. Poetæ dixerunt ipsum limum hujus fluvii produxisse animalia.

LVII.

Julius Cæsar ortus erat antiquâ familiâ Juliorum. Fuit non solùm mâgnus imperator, sed etiam vir doctus. Latinam linguam maximâ elegantiâ et puritate scripsit. Habuit artem faciendi se amabilem omnibus. Fuit liberalis militibus, et sic eorum animos sibi conciliavit. Postquàm bella civilia finita essent, insolenter agere cœpit. Detulit honores ex suâ voluntate, qui anteà a populo deferebantur. Noluit assurgere senatui. cùm ad se venirent. Itaque sexaginta vel ampliùs ex senatoribus, equitibusque Romanis, in eum conjuraverunt, et confoderunt in curiâ tribus et viginti vulneribus. Præcipui inter conjuratos erant Brutus et Cassius. A. .C 44.

Livy.

LVIII.

Abrahamus appellatus est amicus Dei. Ut tentaret fidem ejus et obedientiam, Deus dixit ei, "Tolle filium tuum unicum Isaacum, quem diligis, et vade in terram visionis, atque offer eum in sacrificium super unum montium quem monstravero tibi." Igitur Abrahamus, surgens de nocte, stravit asinum suum, duxitque secum duos juvenes, et Isaacum filium suum. Et, cùm concidisset lignum in sacrificium, abiît in locum quem Deus ei præceperat. Die tertio itineris, vidit locum procul, et dixit servis suis, "Expectate hìc cum asino: Ego et filius meus ibimus illuc, et, postquàm adoraverimus Deum, revertemur ad vos." A. C. 1871.

Historiâ Sacra.

LIX.

Ubi venerunt ad locum, Abrahamus ædificavit altare, et posuit ligna super altare. Cùm ligâsset Isaacum filium suum, posuit eum super ligna. Tum extendit manum suam, et arripuit

gladium ut immolaret filium. Et eccè Angelus Domini e cælo clamavit, dicens, "Abrahame. Abrahame:" qui respondit, "Adsum." Dixitque ei, "Ne extendas manum tuam super puerum, neque facias quidquam illi: jam video te timere Deum, quum non peperceris filio tuo unico propter me." Et Abrahamus vidit post tergum arietem hærentem cornibus in sepe, quem assumpsit, et pro filio obtulit. *Ibid.*

LX.

Romani iniêrunt bellum cum Philippo rege Macedoniæ, ut socios Athenienses defenderent. Flaminius consul, cum magno exercitu, in Græciam missus est. In Thessaliâ Philippus victus est, et amisit ferè dimidium exercitûs. Flaminius omnes Græcorum urbes in pristinam libertatem restituit. Ob hoc factum meretur laudem. Est dignum forti viro et Romano animo. Omnes boni eum laudabunt, et amici libertatis maximo honore habebunt.

A. C. 197.

LXI.

Corinthus, clarissima et potentissima urbs totius Græciæ, a consule Mummio solo æquata est. Tota Græcia, cum Epiro, in formam provinciæ redacta est. Dederunt posteà commune nomen Achaiæ. Romani tamen non fuerunt tam prosperi in Hispaniâ. Hic Viriathus, pastor, factus est dux magni exercitûs et quatuor annos prosperum bellum contra Romanos gessit, ita ut ferè eâ regione expulsi sint. Sed Viriatho tandem capto, maxima pars exercitûs aut fugerunt, aut se Romanis dediderunt. A. C. 146.

LXII.

Demosthenes, qui Athenis natus est, fuit clarissimus orator. Artem loquendi magno labore et studio acquisivit. Naturâ non habuit bonam vocem, et quædam verba rectè pronunciare non poterat. Ut disceret loqui accuratè, parvos circulares lapides in-os posuit. Solebat A. C. 270.

claudere se in cubiculo, et studere totum mensem simul. Ad littus sæpè ivit, et orationes suas ad fluctus pronunciavit, ut strepitum et clamorem populi meliùs tolerare posset. Multas orationes habuit et privatis et publicis occasionibus. Sed præsertim eloquentiâ usus est contra Philippum Macedoniæ regem, et in compluribus orationibus Athenienses excitavit, ut bellum huic inferrent.

LXIII.

Cicero Arpini, oppidi in Italiâ, natus est. Demostheni eloquentiâ ferè æqualis fuit. Cùm viginti septem annos natus esset, in Græciam profectus est, ubi didicit eloquentiam et scientiam a celeberrimis orationibus et philosophis Atheniensium, Consul fuit Romæ cùm Catilina contra civitatem conjuraret. Hanc conjurationem patefecit et frustravit; itaque pater patriæ appellatus est. Scripsit quasdam orationes contra Marcum Antonium, qui caput ejus ab-

A. C. 43.

scindendum et in Foro figendum curavit; ubi tam sæpè magnâ laude locutus erat et patriæ libertatem defenderat.

LXIV.

Romani cum Jugurthâ bellum habuerunt, qui obtinuerat regnum Numidiæ morte nepotum Masinissæ. Hic rex Romanis par fuit aliquandiù, magis auro suo quam potenti exercitu. Ingenti pecuniâ consulem Calpurnium corrupit, et Romam esse venalem pronunciavit. Tandem victus est a Mario, tunc temporis consule, et duce Romani exercitûs in Africâ. Jurgurtha recepit se ad socerum suum Bocchum,
Mauritaniæ regem; sed ab illo A. C.
Mario traditus est. Posteà in 106.
carcerem conjectus est, ubi dolore obiît. *Sallust.*

LXV.

Seneca Cordubæ in Hispaniâ natus est, initio Christianæ Æræ. Cùm puer esset, pater ejus Romam cum totâ

familiâ migravit. Seneca maximus fuit philosophus. Liber ejus morum auctore dignus est. Multa utilia et bona præcepta continet, et ab omnibus legi debet. Fuit Neronis præceptor; et ille imperator, dum sequeretur ejus consilium, benè se gessit. Sed post paucos annos dedidit se omni generi
A. D. 65. nequitiæ. Damnavit Senecam capitis, quià existimavit conjuravisse cum Pisone privare eum imperio. Seneca, venis apertis, in calido balneo mori voluit.

LXVI.

Solon urbis Athenarum clarus legislator fuit. Bonis et æquis legibus luxuriam civium suorum coercuit, et
A. C. 580. multas stultas superstitiones abolevit. Profectus est in Ægyptum et Lydiam, ubi vidit Crœsum, qui non solum princeps ditissimus fuit, sed etiam doctrinam et scientiam amavit. Cùm Crœsus audiret Solonem in Lydiâ fuisse, eum

arcessivit, pulchrum palatium ei ostendit, omnesque ejus thesauros et divitias. Interrogatus à Crœso, "annon existimaret se fusse hominum felicissimum?" Solon respondit, "Neminem posse dici beatum ante suum obitum.

Plutarch.

LXVII.

Anno trecentesimo quinquagesimo octavo ab urbe Româ conditâ, Veiorum urbs capta est à Camillo dictatore, post obsidionem decennii. Redegit etiam sub imperium Faliscos, non tâm armis quâm opinione justitiæ. Sed, post tot tantasque res gestas, Romani à Gallis Senonibus penè deleti sunt; ad quos, cum Clusium in Etruriâ obsiderent, Romani tres legatos miserunt, qui, contra jus gentium, in aciem cum Clusinis contra Gallos prodiêrunt — Hoc illos adeò irritavit, ut, omisso Clusio, Romam contenderent.

LXVIII.

Socrates fuit celeberrimus philosophus inter Græcos. Adhibuit se præcipuè studio philosophiæ. Eloquentia ejus et virtus fuerunt maxima. Multas orationes contra triginta tyrannos fecit. Existimavit scientiam fuisse summum bonum, et ignorantiam maximum malum; divitias et honores habere in se nihil veri pretii, sed contrâ fuisse originem multorum malorum. Credidit fuisse tantùm unum Deum, et irrisit stultitæ civium suorum, quod multos deos colerent. Hâc de causâ accusatus impietatis venenum bibere damnatus est. Mortuus est septuagesimo ætatis anno, et laudatus est ab omnibus gentibus propter multas virtutes.

A. C. 400.

Plutarch.

LXIX.

Plato Socratis discipulus fuit. Cùm adolescens esset, pingendi studio se adhibuit. Sed antequàm triginta annos

natus esset, philosophiam sub Socrate studere cœpit. In Ægyptum ivit, ubi existimatur acquisivisse scientiam religionis Judæorum. Ex Ægypto transiît in Italiam, ut cum discipulis Pythagoræ colloqueretur; et indè profectus esset in Indiam, nisi bella in Asiâ eum impedivissent. Opiniones ejus de multis rebus sunt consentaneæ doctrinæ Veteris Testamenti. Dogmata sunt adeò pura, ut *Divinus Plato* appellatus esset. Octogesimo primo ætatis anno mortuus est. A. C. 48.

LXX.

Babylon, urbs celebris in historiâ, a Belo, Hebræorum Nimrodo, condita est. Ornata est et amplificata a succedentibus principibus, et præsertim a Semiramide, uxore Nini, anno mundi millesimo nonagesimo et sexagesimo. Muri ejus erant septuaginta quinque pedes lati, et trecentos alti. Flumen Euphrates per mediam urbem fluxit. Cùm Nebuchadnezzar Babylone reg-

naret, factus est adeò superbus, ut Deus eum privaret mente, mitteret inter pecora, faceret edere gramen sicut boves; donec sciret summum Deum regere in regnis hominum, et dare quibuscunque velit.

Justin.

LXXI.

Titus Vespasianus meritò numeratur inter optimos Romanorum imperatorum. Vir fuit tantâ mansuetudine et bonitate, ut nemo, qui petivit aliquid ab eo, unquam dimitteretur absque ejus petitione. Et, cum quâdam nocte recordatus sit se fecisse nihil boni cuiquam eo die, dixit iis qui secum erant, "Amici, perdidi diem." Hic bonus imperator mortuus est anno Christi octogesimo primo, duos annos, totidem menses, et viginti dies, postquam patri successisset, et quadragesimo primo ætatis anno. Nonnulli existimant fratrem suum huic venenum dedisse. Senatus populusque Romanus eum maximè luxerunt.

LXXII.

Cùm Codrus Athenis regnaret, bellum ortum est inter Dorienses et Athenienses. Consulerunt oraculum Delphis de eventu belli. Reponsum est ab oraculo, eos fore victores, quorum rex caderet bello. Codrus, hoc audito, habitum pastoris sūmpsit, et hostium castra ingressus est, gerens fasces tergo ubi interfectus est, a milite, quem vulneravit cultro, et eum provocaret. Re cognitâ, Dorienses discesserunt. Sic Athenienses, virtute ducis, offerentis se morti pro salute patriæ, hoc bello liberati sunt. Post hunc administratio reipublicæ commissa est magistratibus.— Mors Codri contigit centum ferè annos postquàm Troja deleta sit. A. C. 1084.

Cornelius Nepos.

LXXIII.

Tarquinius Superbus super montem Tarpeium templum Jovi condidit.—

Cùm opifices fundamentum jacerent, hominis caput in terrâ invenerunt. Hâc occasione consuluerunt augures, qui responderunt hoc caput portendisse Romam fore caput et dominam Italiæ. Hinc templum vocabatur Capitolium, et conditum est magnificentiâ æquali spei quam Roma habuit futuræ magnitudinis. Tria minora templa in eo constituta sunt Jovi, Junoni, et Minervæ ; et fiebat præcipuus locus cultûs inter Romanos. In hoc templo spolia victarum gentium posita sunt.

LXXIV.

Phœbus, qui mundum illuminat, pater fuit Phaëtontis. In testimonium paterni amoris promisit dare filio quicquid peteret. Adolescens temerarius rogavit, ut currum ejus unum diem duceret. Phaëton currum ascendit, et equos flagellare cœpit. Illi autem, invenientes ignorantiam novi aurigæ, per aërem cucurrerunt, et cœlum et terram incenderunt. Jupiter Phaë-

tonta fulmine percussit, et in fluvium Padum eum immersit. Sorores ejus, etiamque amicus Cycnus luxerunt mortem ripis fluvii, et misericordiâ deorum sorores in populos mutatæ sunt, et amicus ejus Cycnus in cygnum.

LXXV.

Cyrus Persarum rex, subactâ Asiâ, bellum intulit Scythis, quorum regina, tunc temporis, fuit Thomyris. Filium suum cum exercitu adversus eum misit. Hic exercitus Cyri dolo deletus est. Reliquit castra repleta vino atquè omni genere commeatuum. Barbari, existimantes hostes fugisse, biberunt tantum vini, ut pugnare non possent. Itaque Cyrus, per noctem reversus, omnes occidit, unà cum reginæ filio. Haud multo post ipse interfectus est a reginâ, dolo ejusdem ferè generis, cum ducentis milibus Persarum, anno ante Christum quingentesimo vigesimo nono, et trigesimo regni. *Justin.*

LXXVI.

Filius Cambyses huic successit Hic invasit Ægyptum, et, offensus superstitione Ægyptiorum, jussit templa deorum dirui. Misit quoque quasdam copias, ad templum Ammonis expugnandum, quæ arenæ tempestate obrutæ sunt. Post hoc fratrem suum Smerdim regnum obtinuisse somniavit; ideòque curavit illum interimendum a Comete uno è Magis. Intereà ipse mortuus est vulnere in femore, quod gladio suo casu acceperat. Cometes, qui fratrem ejus interfecit, mortem celavit, et simulavit fratrem suum Oropastem fuisse Smerdim Cambysis fratrem. Re tandem compertâ, per insidias sublatus est.

A. C. 527.

LXXVII.

Antiqui Britanni superstitioni multùm dediti sunt; et, quàmvis dicitur illos divisos esse a toto mundo, tamen coluerunt deos ethnicorum. Andate fuit dea victoriæ, cui templa ædifica-

verunt. Sacerdotes Druides appellati sunt, et egerunt vitam in sylvis. Barbæ sex aut septem digitos longæ fuerunt. Conciones sub arboribus habuerunt. Sacrificia et alia ad cultum publicum pertinentia paraverunt. Ob innocentiam et simplicitatem vitæ magno honore a populo habiti sunt. Britanni veriti sunt offendere hos sacerdotes, quod illi, qui ità fecerunt, raró prosperi essent in aliquo incepto. Ferè ad inopiam redacti sunt, et miserum habuerunt exitum.

LXXVIII.

Animi hominum sunt immortales, sed corpora eorum redeunt in pulverem. Nos omnes moriemur et apparebimus coram Deo, qui accipiet bonos in cœlum, et dimittet malos in gehennam. Si servemus præcepta Dei in hoc mundo, mors non erit terribilis nobis. Virtus tollit terrorem mortis.

LXXIX.

Leges naturæ non possunt mutari. Leges Dei sunt bonæ et justæ, et omnes qui obediunt iis erunt felices. Omnes, qui cupiunt se esse beatos, timebunt Deum, honorabunt parentes, et vivent secundùm naturam.

Deus, qui gubernat mundum, et a quo omnia creata sunt, est spiritus, quem nemo vidit, aut potest videre.

LXXX.

Cùm tyrannus Hiero quæsivisset è Simonide, non solùm suavi poëtâ, verùm etiam sapiente et docto viro, quid
A. C. Deus esset; postulavit sibi
470. unum diem ad deliberandum.
Cùm idem quæreretur postridie ex eo, petivit biduum, et deinde quatriduum, semper duplicans numerum. Hiero admirans quæsivit cur faceret ita: "Quia," inquit, "res videtur mihi tantò obscurior, quantò diutiùs eam considero."

Cicero.

LXXXI.

Cùm Thales interrogaretur an facta hominem fallerent Deos, inquit " Ne cogitata quidem fallant illos." Admonuit nos hoc responso, ut velimus habere non solùm puras manus, sed etiam mentes, cùm cœleste numen adsit nostris secretis cogitationibus. Sextus Pythagoricus dixit simili sententiâ : " Cùm homo agat injuste non potest celari a Deo, et ne cùm quidem cogitet." A. C. 545.

Valerius Maximus.

LXXXII.

Omnis Gallia est divisa in tres partes. Belgæ incolunt unam partem, et Aquitani aliam. Celtæ, qui nostrâ linguâ appellantur Galli, incolunt tertiam. Omnes hi differunt inter se, linguâ, institutis, et legibus. Duo magna flumina dividunt Gallos ab Aquitanis et Belgis. Belgæ sunt fortissimi omnium horum. Germani, qui

incolunt trans Rhenum, sunt proximi illis, cum quibus semper gerunt bellum.

Cæsar.

LXXXIII.

Chabrias habitus est in summis ducibus, et gessit multas res dignas memorià. Administravit multa bella in Europâ, cùm esset dux Atheniensium: gessit multa in Ægypto suâ sponte. A. C. 355. Proficiscens ad auxilium Nectanebi restituit eum in regnum. Devicit totam insulam Cypri bello: ex quâ re Athenienses adepti sunt magnam gloriam. Interim bellum ortum est inter Ægyptios et Persas, et Athenienses habebant societatem cum Artaxerxe, Lacedæmonii cum Ægyptiis, a quibus Agesilaus eorum rex faciebat magnas prædas.

Corn. Nepos.

LXXXIV.

Post mortem Orgetorigis, Helvetii conantur facere id, quod constituerant,

ut exeant è finibus suis. Ubi arbitrati sunt se esse paratos ad eam rem, incendunt omnia sua oppida, vicos, et reliqua privata ædificia. Comburunt etiam omne frumentum, præter quod erant portaturi secum, ut, spe sublatâ reditionis domum, essent paratiores ad subeunda omnia pericula.

A. C. 57.

Cæsar.

LXXXV.

Postquam Deus hominem creavisset, posuit eum in amœnissimo horto, ut illum coleret. Erant ibi omnes arbores pulchræ oculis, et sauves gustui; et in medio earum arbor scientiæ boni et mali. Et Deus dixit homini: "Comede ex fructibus omnium arborum, præterquàm ex fructu arboris scientiæ boni et mali; nam, si comederis ex eo, morieris."

Historia Sacra.

LXXXVI.

Sed Serpens, qui erat callidior cunctis animalibus, quæ Dominus Deus fecerat, dixit mulieri; "An Deus præcepit vobis, ut non comederetis ex arbore quæ est in medio Paradiso?" Cui respondit mulier; "Non licet nobis vesci fructu illius arboris; si enim vescamur, moriemur." Serpens inquit; "Nequaquàm moriemini, sed simul comederitis ex fructu illius arboris, oculi vestri aperientur, et eritis sicut Dii scientes bonum et malum."

Historia Sacra.

LXXXVII.

Mulier igitur videns fructum illius arboris esse bonum ad vescendum, et delectabilem aspectui, decerpsit et comedit: obtulit etiam viro suo, et ille quoque comedit.

Adhuc uterque fuerat nudus, et non erubescebant. Cùm verò cognocerent se esse nudos, consuerunt folia ficûs,

et fecerunt sibi cingula. Et Adamus et uxor ejus absconderunt se a facie Domini.

Historia Sacra.

LXXXVIII.

Sed Dominus Deus vocavit Adamum, et dixit ei: "Ubi es?" Et Adamus respondit; Timui tuum conspectum, quod essem nudus, et abscondi me." Et Dominus dixit; "Quis indicavit tibi te esse nudum? An comedisti ex fructu quem præceperam tibi ne comederes?" Dixitque Adamus: "Mulier, quam dedisti sociam mihi, dedit fructum mihi, ut ederem." Et Dominus dixit mulieri; "quare fecisti hoc?" At illa respondit, "Serpens decepit me."

Ibid.

LXXXIX.

Et Dominus dixit Serpenti: Quià fecisti hoc, es maledictus inter omnia animantia et bestias terræ: ambulabis

super pectus tuum, et comedes pulverem cunctis diebus vitæ tuæ. Ponam inimicitias inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius; ipsa conteret tuum caput, et tu facies insidias calci ejus." Dixit quoque mulieri; "Multiplicabo ærumnas tuas; in dolore paries filios, et eris sub potestate viri tui, et ipse dominabitur tibi."

Historia Sacra.

XC.

Dominus autem Deus dixit Adamo; "Quià audivisti vocem uxoris tuæ, et comedisti fructum illius arboris, quæ fuerat interdicta tibi, terra erit maledicta propter peccatum tuum. Comedes fructus ejus cum multo labore. Germinabit tibi spinas et tribulos, et vesceris pane in sudore vultûs tui, donec revertaris in terram e quâ sumptus es; quià pulvis es, et reverteris in pulverem."

Ibid.

XCI.

Dionysius major, tyrannus Siciliæ, ut exercuit crudelitatem in suos, sic fuit impius in Deos furtis et cavillationibus. A. C. 368. Cùm venisset in fanum Jovis, detraxit ei aureum amiculum, quo fuerat exornatus à tyranno Gelone, dicens; "Aureum amiculum esse nimis grave æstate, et nimis frigidum hieme." Et injecit ei laneum pallium, quod dicebat esse aptum ad omne tempus.

Cicero.

XCII.

Idem Dionysius jussit auream barbam demi Æsculapio. "Filius," dixit ille, "non debet habere barbam, cùm pater ejus Apollo sit sine barbâ in omnibus fanis." Expilato quodam fano, navigabat Syracusas; et, quòd haberet prosperum cursum, dixit, "Nonne videtis, amici, quàm bona navigatio detur iis qui spoliant templa immor-

talium Deorum;" Dionysius quidem non statim exsolvit supplicia debita impietati; at postea oppressus insidiis suorum, interfectus est.

Cicero.

XCIII.

Xerxes ante navale prælium, quo victus est a Themistocle, miserat quatuor millia armatorum Delphos, ad diripiendum templum Apollinis, quasi gereret bellum non tantùm cum Græcis, sed etiam cum Diis immortalibus. Quæ tota manus deleta est imbribus et fulminibus.

A. C. 480.

Contrà Agesilaus, rex Lacedæmoniorum, habuit magnam reverentiam templis. Fuit maxima laus victoriæ, quam adeptus est de Atheniensibus et Bœotiis apud Coroneam, quòd antetulit religionem iræ.

Corn. Nepos.

XCIV.

Agesilaus non solùm habuit templa Deorum sancta in Græciâ, sed etiam apud barbaros conservavit omnia simulacra et aras summâ religione.

Sic Alexander magnus, cùm everteret Thebas, non oblitus est pietatis erga Deos: sed cavit summo studio ne ædes Deorum, et alia sacra loca, violarentur. In expeditione quoque contra Asiam, cùm puniret Persas, abstinuit a locis omnibus quæ erant dicata Diis; quàmvis Persæ potissimùm exercuissent crudelitatem hoc genere injuriæ in Græciâ. A. C. 337.

Corn. Nepos.

XCV.

Septingentesimo ac nono anno urbis Romæ, Cæsare interfecto, bella civilia reparata sunt; senatus enim favebat interfectoribus Cæsaris. Antonius Consul, qui fuit unus ex amicis Cæsaris, conabatur oppri- A. C. 43.

mere eos civili bello. Ergo, Republicâ turbatâ, Antonius committens multa scelera judicatus est hostis a senatu. Tres duces profecti contra eum, vicerunt. Tamen evenit, ut ambo consules victores morirentur; quàre tres exercitus paruerunt Cæsari uni. *Eutropius.*

XCVI.

Antonius fugatus, amisso exercitu, confugit ad Lepidum, qui fuerat Magister equitum Cæsari, et tum habebat grandes copias militum, a quo acceptus est. Mox Cæsar fecit pacem cum Antonio; et, ut vindicaret mortem sui patris a quo fuerat adoptatus per testamentum, profectus est Romam cum exercitu, et extorsit ut Consulatus daretur sibi vigesimo anno ætatis. Cum Antonio et Lepido proscripsit Senatum, et cœpit tenere rempublicam armis; per hos etiam Cicero Orator occisus est, multique alii nobiles.

Eutropius.

XCVII.

Intereà Brutus et Cassius, interfectores Cæsaris, moverunt ingens bellum; erant enim multi exercitus per Macedoniam et Orientem, quos occupaverant. Igitur Cæsar Octavianus Augustus, et Marcus Antonius (Lepidus enim remanserat ad defendendam Italiam) profecti contra eos, pugnaverunt cum iis apud Philippos urbem Macedoniæ. Primo prælio Antonius et Cæsar victi sunt: tamen Cassius dux nobilitatis perivit. Secundo prælio, A. C. 40. Brutus, et infinita nobilitas, quæ gesserat bellum cum illis, periêrunt. Respublica sic divisa est inter eos, ut Augustus teneret Hispanias, Gallias, et Italiam; Antonius Asiam, Pontum, et Orientem.

Eutropius.

XCVIII.

Sed intra Italiam Lucius Antonius Consul commovit civile bellum. Fra-

ter ejus, qui dimicaverat cum Cæsare contra Brutum et Cassium, victus est et captus apud Perusiam civitatem Tusciæ.

Interim ingens bellum commotum est in Siciliâ a Sexto Pompeio, filio Cnæii Pompeii Magni, his confluentibus ad eum, qui superfuerant ex partibus Bruti et Casii. Bellum gestum est per Cæsarem Augustum, et Marcum Antonium, adversus Sextum Pompeium. Postremò pax facta est.

Eutropius.

XCIX.

Eo tempore Marcus Agrippa gessit rem prosperè in Aquitaniâ, et Lucius Ventidius Bassus vicit Persas irrumpentes in Syriam, tribus præliis. Interfecit Pacorum, filium Orodis eorum regis, eo ipso die, quo olim Orodes, rex Persarum, occiderat Crassum per ducem Surenam. Hic primus egit justissimum triumphum Romæ de Parthis.

Interim Pompeius rupit pacem ; et victus navali prælio interfectus est fugiens ad Asiam.

Ibid.

C.

Cùm Josephus esset in carcere in Ægypto, duo Ægyptii peccaverunt adversus regem dominum suum. Alter erat magister pincernarum, et alter pistorum. Accidit autem ut conjicerentur in eum carcerem in quo Josephus erat. Eâdem nocte ambo habuerunt somnium, indicans quid esset eventurum utrique. Cùm Josephus videret eos manè, interrogavit, cur essent tristiores solito? Qui responderunt; " Vidimus somnium, et est nemo qui potest interpretari nobis." Dixitque eis Josephus: " Annon interpretatio somniorum pertinet ad Deum? Referte mihi quid vidistis."

A. C. 1717.

Historia Sacra.

CI.

Tum Præpositus pincernarum narravit somnium suum his verbis: "Videbam coram me vitem, in quâ erant tres propagines, plenæ maturis uvis. Eratque calix Pharaonis in manu meâ.— Tuli ergo uvas, et expressi in calicem, quem tenebam, et tradidi poculum Pharaoni." Josephus respondit: "Hæc est interpretatio somnii. Tres propagines sunt tres dies, post quos Pharo recordabitur tui, et restituet te in pristinum gradum; dabisque ei calicem sicut consueveras facere anteà. Tantùm memento mei cùm fuerit bene tibi; et misertus sortis meæ facias mentionem mei apud Pharaonem, ut educat me ex hoc carcere."

Historia Sacra.

CII.

Magister pistorum videns interpretationem somnii socii sui fuisse bonam, dixit; "Et ego habui somnium. Por-

tabam super caput meum tria canistra, et in eo canistro, quod erat excelsius cæteris, fuerunt omnes cibi, qui fiunt arte pistoriâ; et aves comederunt ex eo." Respondit Josephus; "Hæc est interpretatio somnii. Tria canistra sunt tres dies, post quos Pharao auferet caput tuum, ac suspendet te in cruce, et volucres lacerabunt carnes tuas."

Tertius dies, post hanc interpretationem somniorm, fuit natalis dies Pharaonis; qui, parans grande convivium, recordatus est magistri pincernarum, et principis pistorum. Restituit alterum in ministerium suum, ut porrigeret poculum sibi, alterum vero crucifixit.

Historia Sacra.

CIII.

Deus omnipotens, Creator totius orbis, non solùm ornavit hominem mente, sed etiam dedit ei figuram aptam humano ingenio. Nam, cùm dedisset

cæteris animalibus caput pronum in terram, erexit hominem solum, et excitavit ad conspectum cæli, quasi cognationis et domicilii sui. " Cùm cætera animalia, inquit Ovidius, " spectent terram, dedit sublime os homini, et jussit tueri cælum, et tollere erectos vultus ad sidera.

CIV.

Antisthenes hortabatur discipulos ut darent sedulam operam sapientiæ; at pauci obtemperabant. Itaque tandem indignatus dimissit omnes a se, inter quos erat etiam Diogenes. Cùm verò hic, incensus magno studio audiendi philosophum, semper veniret ad eum, Antisthenes percussit caput ejus baculo. Diogenes non propterea recessit, sed dixit præceptori suo, " Percute, si ita placet. Ego præbebo caput meum tibi. Neque vero invenies fustem tam durum, ut abigas me a tuâ scholâ' Tandem

A. C. 350.

Antisthenes admisit discipulum tam cupidum doctrinæ, et eum maxime amavit.

Ælian.

CV.

Nihil est excellentius sapientiâ et doctrinâ. Doctus homo est multò superior homini indocto. Quidam homo accessit ad Aristippum philosophum, et rogavit ut erudiret suum filium. Cùm verò ille pro mercede petivisset quingentas Drachmas; pater deterritus pretio, quod videbatur nimium ignaro avaroque homini, dixit se posse emere servum minoris. Tum philosophus inquit; "Eme, et habebis duos." A. C. 400.

Diogenes Laërtius.

CVI.

Alexander magnus dicitur coluisse Deos magnificè a pueritiâ. Cum aliquando faciens sacrum injecisset thura

in ignem ambabus manibus, Leonidas pædagogus ejus inquit; "Adolebis sic cùm subegeris eas regiones, ubi thura nascuntur. Interea utere parcè præsentibus." "Postea Alexander, redactâ Arabiâ, regione thuriferâ, in ditionem suam, memor reprehensionis olim factæ a Leonidâ, misit ei thura multa, odoresque alios, admonuitque ne vellet posthàc esse parcus in honoribus Deorum.

A. C. 334.

Plutarch.

CVII.

Antonius, qui tenebat Asiam et Orientem, sorore Cæsaris Octaviani repudiatâ, duxit uxorem Cleopatram reginam Ægypti. Ipse etiam pugnavit contra Persas. Vicit eos primis præliis; tamen regrediens laboravit fame et pestilentiâ; et cum Parthi eum aggrederentur, recepit se ad fugam. Hic quoque commovit ingens civile bellum, uxore Cleopatrâ reginâ Ægypti

cogente; dum illa optat etiam regnare in urbe Româ muliebri cupiditate.

Eutropius.

CVIII.

Antonius victus est ab Augusto, clarâ et illustri navali pugnâ, apud Actium, qui locus est in Epiro; ex quâ fugit in Ægyptum, et, rebus desperatis, cùm omnes transirent ad Augustum, ipse interemit se. Cleopatra admissit aspidem sibi, et periit veneno. Ægyptus adjecta est Romano imperio per Octavianum Augustum: et Cnæius Cornelius Gallus factus est præpositus ejus. Ægyptus habuit hunc primum Romanum judicem. A. C. 31.

Eutropius.

CIX.

Ita bellis confectis toto orbe, Octavianus Augustus rediit Romam duodecimo anno, postquam fuerat Consul. Ex eo tempore solus obtinuit imperium

per quadraginta quatuor annos; nam anteà tenuerat eam duodecim annos cum Antonio et Lepido. Ita ab
A. C. 14. initio ejus principatûs usque ad finem fuerunt quinquaginta sex anni. Obiit autem octogesimo sexto anno ætatis, communi morte, in Attellâ, oppido Campaniæ. Sepultus est Romæ in Campo Martio. Nemo unquàm fuit felicior illo in bellis, aut moderatior in pace. Erat liberalissimus in cunctos, et fidissimus in amicos, quos evexit maximis honoribus.

Ibid.

CX.

Romana res floruit magis nullo tempore ante Augustum; nam civilibus bellis exceptis, in quibus fuit invictus, adjecit Ægyptum, Cantabriam, Dalmatiam, et multas alias regiones, Romano imperio. Recepit Armeniam a Parthis, et Persæ dederunt obsides ei. Scythæ et Indi, quibus nomen Romanorum erat incognitum anteà, miserunt

munera et legatos ad eum. Galatia quoque facta est provincia sub hoc, cum anteà fuisset regnum. Fuit etiam tanto amore apud Barbaros, ut reges, amici populi Romani, conderent civitates in ejus honorem. Multi reges venerunt ex suis regnis, et, Romano habitu, cucurrerunt ad ipsius vehiculum, vel equum. Moriens appellatus est Divus. Reliquit beatissimam Rempublicam Tiberio successori, qui fuerat ejus privignus, mox gener, postremò filius adoptione.

Eutropius.

CXI.

Militiades brevi tempore vicit copias barbarorum, et potitus est totâ regione, quam petiêrat. Communivit loca idonea castellis. Multitudinem, quam secum duxerat, in agris collocavit, et locupletavit eam crebris excursionibus. Neque minùs adjutus est in eâ re prudentiâ, quàm felicitate. Nam cùm devicisset exercitus hostium virtute mi-

litum, constituit res summâ æquitate; atque ipse decrevit manere ibidem.—Erat enim inter eos dignitate regiâ, quamvis carebat nomine; neque consecutus est id magis imperio quàm justitiâ.

Corn. Nepos.

CXII.

Darius, rex Persarum, trajecto exercitu ex Asiâ in Europam, decrevit inferre bellum Scythis. Fecit pontem in flumine Istro, ut traduceret copias. Dum ipse abesset, reliquit custodes ejus pontis principes quos duxerat secum ex Ioniâ et Æolide; quibus dederat perpetua imperia ipsarum urbium.—Sic enim putavit, se posse facillimè retinere sub suâ potestate Græcos qui incoluerunt Asiam, si traderet oppida amicis suis; quibus, se oppresso, nulla spes salutis relinqueretur. In hoc numero fuit Miltiades, cui illa custodia crederetur.

Corn. Nepos.

CXIII.

Domi autem decem prætores creati sunt, qui præessent exercitui. In eis erat Militiades. Inter quos fuit magna contentio utrùm defenderent se mœnibus, an irent obviàm hostibus, et committerent prælium. Miltiades unus maximè contendit, ut castra fierent. Hoc tempore nulla civitas tulit auxilium Atheniensibus, præter civitatem Platæensium. Ea misit mille militum. Itaque horum adventu decem millia armatorum completa sunt: quæ manus flagrabat mirabili cupiditate pugnandi. Quo factum est ut Miltiades valuerit plus quam collegæ. Nam Athenienses impulsi ejus auctoritate eduxerunt copias ex urbe, et fecerunt castra idoneo loco. A. C. 479.

Ibid.

CXIV.

Miltiades videbatur trahi consuetudine ad cupiditatem imperii. Nam

omnes illos annos, quos habitaverat Chersonesi, obtinuerat perpetuam dominationem, et appellatus fuerat tyrannus, sed justus. Non enim consecutus erat vi, sed voluntate suorum, et retinuerat eam bonitate. Omnes autem et habentur et dicuntur tyranni, qui habent potestatem perpetuam in liberâ civitate. Sed in Miltiade erat cùm summa humanitas, tùm mira comitas, ut nemo esset tam humilis, quem non admissit ad se. Auctoritas erat magna apud omnes civitates. Nomen fuit nobile, et laus rei militaris maxima.

Ibid.

CXV.

Cùm Xerxes et mari et terrâ inferret bellum universæ Europæ, invasit eam cum tantis copiis, quantas neque antè neque posteà quisquam habuit. Hujus enim classis fuit mille et ducentarum navium longarum.—Terrestres aütem exercitus fuerünt septingentorum millium peditum, et

A. C. 479. quadringentorum millium equitum. De cujus adventu cùm fama perlata esset in Græciam, Athenienses miserunt consultum quid facerent de rebus suis. Pithia respondit ut munirent se ligneis mœnibus. Cùm nemo intelligeret id responsum, Themistocles persuasit, consilium esse Apollinis, ut conferrent se suaque in naves.

Ibid.

CXVI.

Themistocles fuit magnus bello, neque minor in pace. Hujus consilio, triplex portus Piræi constitutus est. Hic portus circumdatus mœnibus æquavit ipsam urbem dignitate, et superavit utilitate. Namque Lacedæmonii nacti idoneam causam, quâ negarent ullam urbem debere ædificari extra Peloponnesum, propter excursiones babarorum, ne essent loca munita, quæ hostes possiderent;

Athenienses conati sunt prohibere ædificantes.

Ibid.

CXVII.

Tiberius gessit imperium ingenti socordiâ, gravi crudelitate, scelestâ avaritiâ, et turpi libidine; nam ipse pugnavit nusquam, sed gessit bellum per suos legatos. Nunquam remisit quosdam reges evocatos ad se per blanditias. Archelaus rex Cappadociæ fuit unus ex his regibus, cujus regnum etiam redegit in formam provinciæ, et jussit maximam civitatem appellari suo nomine. Mortuus est in Campaniâ, tertio et vigesimo anno imperii, octogesimo tertio ætatis, ingenti gaudio omnium.

A. D. 37.

Eutropius.

CXVIII.

Claudius intulit bellum Britanniæ, quam nullus Romanorum attigerat post

Julium Cæsarem, eâque devictâ per Cnæum Sentium et Aulum Plautium, illustres et nobiles viros, egit celebrem triumphum. Addidit etiam quasdam insulas, positas ultra Britanniam in oceano, Romano imperio. Hæ insulæ appellantur Orcades. Dedit præmia et honores iis fortibus viris, qui fecerant multa ac egregia facinora in Britannicâ expeditione Is vixit sexaginta quatuor annos, et imperavit quatuordecim. Post mortem consecratus est, et appellatus Divus. A. D. 54.

Ibid.

CXIX.

Nero, simillimus suo avunculo Caligulæ successit huic. Fuit vir inusitatæ luxuriæ et sumptuum. Lavit se calidis et frigidis unguentis et piscatus est aureis retibus. Interfecit magnam partem senatûs. Fuit hostis omnibus bonis. Occidit fratrem, uxorem, et matrem. Incendit urbem

Romam, ut cerneret imaginem ejus spectaculi, quasi olim Troja capta arserat. Ausus nihil omninò in militari re, penè amisit Britanniam. Nam sub hoc duô nobilissima oppida illic capta sunt atque eversa. Parthi sustulerunt Armeniam, et miserunt Romanas legiones sub jugum.

CXX.

Nero destitutus ab omnibus, et judicatus hostis a Senatu, cùm quæreretur ad pœnam (quæ pœna erat talis, ut ductus nudus per publicum furcâ insertâ ejus capiti, cæderetur virgis usquè ad mortem, atque ita præcipitaretur de saxo) fugit ex palatio, et interfecit se in suburbano sui liberti, quod est inter Salarium et Numentanam viam, ad quartum milliarium urbis.
A. D. 68. Is ædificavit thermas Romæ. Obiit trigesimo et altero anno ætatis, decimo quarto imperii, atque in eo omnis familia Augusti extincta est.

Eutropius.

CXXI.

Decet eos, qui student præstare cæteris animalibus, niti, summâ ope, ne transeant vitam veluti pecora, quæ natura finxit prona, atque obedientia ventri. Constamus animo et corpore. Alterum est commune nobis cum Diis, alterum cum belluis. Animus debet imperare, corpus vero servire. Itaque pravitas eorum est admiranda et detestanda, qui dediti gaudiis corporis, agunt ætatem in luxu atque ignaviâ; sinunt autem ingenium torpescere incultu et socordiâ.

Sallust.

CXXII.

Aristippus interrogatus qui sapiens differret ab insipiente? respondit, "Mitte utrumque ad ignotos, et disces." Quæ responsio, quam vera esset, probatum est ipsius exemplo. Cùm ejectus naufragio in littus Rhodiorum, animadvertisset geome- A. C. 392.

tricas figuras, primus exclamavit, Speremùs benè, ô amici, hominum enim vestigia conspicio." Deinde contendit in oppidum Rhodium, et intravit in Gymnasium, ibique disputans de philosophiâ, donatus est magnis muneribus, ita ut posset dare omnia necessaria iis qui fecerant naufragium secum. Paremus igitur ea viatica, quæ enatent cum naufrago.

Vitruvius.

CXXIII.

Seneca scribens ad Lucilium habet hæc verba. "Gaudeo discere aliquid, ut doceam; nec ulla res delectabit me, licèt sit eximia et salutaris, nisi possim impertire aliis. Mittam itaque tibi ipsos libros, unde hausi salutaria? et ne impendas multum operæ in perlegendis totis libris, imponam notas, ut protinùs accedas ad ea quæ probo et miror. Tamen viva vox sapientum plùs proderit tibi quàm libri. Primùm, quia homines

A. D. 60.

credunt amplius oculis quàm auribus ; deinde, quia iter est longum per præcepta, breve et efficax per exempla.

Seneca.

CXXIV.

Aristides fuit ferè æqualis Themistocli. Itaque contendit cum eo de principatu. In his autem cognitum est quanto eloquentia antistaret innocentiæ. Quamvis enim Aristides adeò excellebat abstinentiâ, ut unus, post memoriam hominem, appellatus sit JUSTUS cognomine ; tamen collabefactus a Themistocle, multatus est exilio decem annorum. Qui quidem quum intelligeret concitatam multitudinem non posse reprimi ; cedensque animadverteret quendam scribentem, ut pelleretur patriâ, dicitur quæsivisse ab eo, quare faceret id, aut quid Aristides commisisset, cur duceretur dignus tantâ pœnâ? Cui ille respondit, se ignorare Aristidem, sed non placere

sibi quòd elaborasset tam cupidè, ut appellaretur JUSTUS præter cæteros.

Corn. Nepos.

CXXV.

Aritides non pertulit legitimam pœnam decem annorum. Nam postquam Xerxes descendit in Græciam, sexto ferè anno postquam ex-
A. C. 480. pulsus erat, restitutus est in patriam plebiscito. Interfuit autem navali pugnæ apud Salamina, quæ facta est priusquàm liberaretur pœnâ. Idem fuit prætor Atheniensium apud Platæas, in prælio quo Mardonius fusus est, et exercitus babarorum interfectus. Neque est ullum aliud illustre factum hujus imperii.

Ibid.

CXXVI.

Sunt tamen multa exempla æquitatis et innocentiæ Aristidis. Imprimis, quòd factum est ejus æquitate, quum

esset in communi classe Græciæ simul cum Pausaniâ, ut summa imperii maritimi transferetur à Lacedæmoniis ad Athenienses. Namque ante id tempus Lacedemonii erant duces et mari et terrâ. Tum autem factum est, et imprudentiâ Pausaniæ, et justitiâ Aristidis, ut ferè omnes civitates Græciæ applicarent se ad societatem Atheniensium, et deligerent duces sibi adversus barbaros, quò faciliùs repellerent, si fortè conarentur renovare bellum.

Ibid.

CXXVII.

Aristides delectus est, qui constitueret, quantum pecuniæ quæque civitas daret, ad ædificandas classes, exercitusque comparandos. Ejus arbitrio quadringenta et sexaginta talenta collata sunt quotanis Delum. Voluerunt enim id esse commune ærarium. Quæ omnis pecunia posteà translata est Athenas. Avaritia haùd fuit vitium Aristidis; nam decessit in tantâ pau-

perate, ut vix reliquerit aliquid quo sepeliretur. Quo factum est ut filiæ ejus alerentur publico sumptu, et, cùm darentur in matrimonium, dotes datæ sunt illis de communi ærario.

Ibid.

CXXVIII.

Una via relinquebatur Helvetiis, quâ non poterant ire propter angustias, Sequanis invitis. Cùm non possent persuadere his suâ sponte, mittunt legatos ad Dumnorigem Æduum, ut per
A. C. eum impetrarent hanc gratiam
58. a Sequanis. Dumnorix poterat plurimum apud Sequanos, et erat amicus Helvetiis; quod ex eâ civitate duxerat filiam Orgetorigis in matrimonium, et, adductus cupiditate regni, studebat novis rebus. Itaque suscipit rem, et impetrat a Sequanis, ut patiantur Helvetios ire per suos fines, et perficit utì dent obsides inter se.

Cæsar.

CXXIX.

Renunciatur Cæsari Helvetios velle facere iter per agrum Sequanorum et Æduorum in fines Santonum, qui non longe absunt à finibus Tolosatium; quæ civitas est in provinciâ. Si id fieret, intelligebat futurum cum magno periculo provinciæ, ut haberet bellicosos homines, et inimicos populi Romani, finitimos regioni fertili. Ob eas causas præfecit Titum Labienum legatum ei munitioni, quam fecerat. Ipse contendit in Italiam magnis itineribus, et ibi conscribit duas legiones. Sed cùm veniret ad Alpes, Centrones, et Caturiges, locis superioribus occupatis, conantur prohibere exercitum itinere.

Ibid.

CXXX.

Helvetii jam transduxerant suas copias per angustias et fines Sequanorum, et pervenerant in fines Æduorum, et

propulabantur eorum agros. Ædui, quum non possent defendere se suaque ab iis, mittunt legatos ad Cæsarem, rogatum auxilium. Dixerunt se omni tempore, ita meritos esse de Romano populo, ut agri non debuerint vastari, liberi eorum abduci in servitutem, et oppida expugnari, penè in conspectu nostri exercitûs. Eodem tempore, Ædui Ambarri faciunt Cæsarem certiorem, sese, agris depopulatis, non posse facilè prohibere vim hostium ab oppidis.

Ibid.

CXXXI.

Allobroges, qui habebant vicos et possessiones trans Rhenum, recipiunt se fugâ ad Cæsarem, et demonstrant, nihil relictum esse sibi, præter agros. Quibus rebus Cæsar adductus, non expectavit, donec, omnibus fortunis sociorum consumptis, Helvetii pervenirent in Santones.

Arar est flumen quod influit per fines Æduorum et Sequanorum in Rhodanum, incredibili lenitate, ita ut non possit judicari oculis in utram partem fluat. Helvetii transibant id ratibus et lintribus junctis. De tertiâ vigiliâ, Cæsar, profectus e castris cum tribus legionibus, pervenit ad eos, qui nondum transièrant flumen, et concidit magnam partem eorum.

Ibid.

CXXXII.

Sergius Galba successit Neroni, cùm esset septuaginta et tres annos natus. Fuit Senator antiquissimæ nobilitatis. Electus est Imperator ab Hispanis et Gallis, et mox acceptus est libentèr ab universo exercitu. Nam ejus privata vita fuerat insignis militaribus et civilibus rebus. Sæpè fuerat Consul, sæpè Proconsul, et frequenter Dux, in gravissimis bellis. Imperium hujus fuit breve; nam occisus est insidiis Othonis, septimo mense imperii, in

A. D. 69. foro Romæ, et sepultus est in suis hortis, qui sunt Aureliâ viâ non longe ab urbe Româ.

Otho, Galbâ occiso, invasit imperium. In privatâ vitâ erat mollis, in imperio non potuit ostendere documentum sui. *Eutropius.*

CXXXIII.

Dein Vitellius potitus est imperio, ex honoratâ magis quam nobili familiâ Pater ejus gesserat tres consulatus.— Hic imperavit cum multo dedecore, et erat notabilis gravi sævitiâ, præcipuè ingluvie et voracitate. Notissima cœna est mandata memoriæ, quam Vitellius ejus frater exhibuit ei, in quâ super cæteros sumptus, duo millia piscium, et septem millia avium, traduntur fuisse apposita. Cùm hic vellet esse similis Neroni, occisus est à ducibus Vespasiani. Posteà tractus est cum magno dedecore per urbem Romam, et dejectus in Tiberim, caruit communi sepulturâ. Periit A. D. 70.

autem quinquagesimo septimo anno et octavo mense ætatis.

Ibid.

CXXXIV.

Hannibal factus imperator, cùm esset viginti quatuor annos natus, subegit omnes gentes Hispaniæ bello. Expugnavit vi Saguntum fœderatam civitatem. Comparavit tres maximos exercitus. Misit unum ex his in Africam, reliquit alterum cum fratre Hasdrubale in Hispaniâ, et duxit tertium secum in Italiam. Trànsiit Pyrenæum saltum. Quàcunque fecit iter, conflixit cum omnibus incolis.—Dimisit neminem nisi victum. Postquam venit ad Alpes, quæ sejungunt Italiam à Gallià, quas nemo unquam transierat cum exercitu ante eum, concidit incolas Alpium conantes prohibere transitum, et effecit ut ornatus elephantus posset ire, quà anteâ unus homo inermis vix poterat repere.—

A. C. 217.

Hâc traduxit copias, et pervenit in Italiam.

Corn. Nepos.

CXXXV.

Hannibal profectus est Romam, nullo resistente. Moratus est in propinquis montibus. Quum habuisset castra ibi aliquot dies, et reverteretur Capuam, Quintus Fabius Maximus, Romanus dictator, occurrit ei in Falerno agro. Hinc clausus augustiis locorum, noctu sine ullo detrimento exercitûs expedivit se. Dedit verba callidissimo imperatori Fabio. Nam nocturno tempore, incendit sarmenta deligata in cornibus jumentorum, et immisit magnam multitudinem ejus generis. Quo repentino visu, injecit tantum terrorem exercitui Romanorum, ut nemo ausus sit egredi extra vallum.

Ibid.

CXXXVI.

Longum est enumerare prælia Hannibalis. Quare hoc unum eris satis dictum, ex quo possit intelligi, quantus ille fuerit. Quamdiu in Italiâ fuit, nemo restitit ei in acie, nemo posuit castra in campo adversus eum post Cannensem pugnam. Hic invictus revocatus domum defensum patriam, gessit bellum adversus filium Publii Scipionis, quem ipse fugaverat, primùm apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertiò apud Trebiam. Cum hoc, facultatibus patriæ jam exhaustis, cupivit componere bellum brevi spatio, quò posteà congrederetur majore alacritate. Convenit in colloquium, sed conditiones non convenerunt.

Ibid.

CXXXVII.

Post id factum, paucis diebus conflixit cum eodem apud Zamam. Pulsus, incredibile dictu! biduo et duabus noc-

tibus pervenit Adrumetum, quod abest â Zamâ circiter trecenta millia passuum. In hâc fugâ Numidæ, qui simul cum eo excesserant acie, insidiati sunt ei, quos non solùm effugit, sed etiam ipsos oppressit. Post fugam collegit reliquos Adrumeti. Novis delectibus, paucis diebus multos contraxit. Cum esset acerrimè occupatus in apparando, Carthaginienses composuerunt bellum cum Romanis. Ille nihilo secius posteà præfuit exercitui, resque in Africâ gessit.

Ibid.

CXXXVIII.

Responso Senatûs cognito, Carthaginienses revocârunt Hannibalem et Magonem domum. Huc ut Hannibal rediit, prætor factus est, vigesimo et secundo anno postquam fuerat rex.—Ut enim Romæ consules, sic Carthagine quotanis annui bini reges creabantur. In eo Magistratu Hannibal gessit se maximâ diligentiâ. Namque effecit ut

non solùm esset pecunia, quæ penderetur Romanis ex fœdere, sed etiam superesset, quæ poneretur in ærario. Cùm Romani legati veniret Carthaginem, Hannibal ratus hos missos esse gratiâ exposcendi sui, clam navem conscendit, atque in Syriam ad Antiochum profugit.

Ibid.

CXXXIX.

Amiciciâ sublatâ, omnis jucunditas est sublata è vitâ. Itaque hortor vos, ut anteponatis amicitiam omnibus humanis rebus. Nihil est tam aptum naturæ, tam conveniens vel ad res secundas, vel adversas. Nam ut amicitia facit res secundas splendidiores et jucundiores, sic facit adversas leviores. Quis esset tantus fructus in prosperis, nisi haberes quosdam, qui gauderent illis æquè ac tu ipse? Sed difficile esset ferre adversas sine amico.

Quid est dulcius, quâm habere aliquem, cum quo audeas sic loqui omnia, ut tecum?

Quoniam humanæ res sunt fragiles et caducæ, semper aliqui acquirendi sunt quos diligamus, et a quibus diligamur. Caritate enim et benevolentiâ sublatâ, omnis jucunditas est sublata e vitâ.

Cicero.

CXL.

Amicitia non potest esse nisi in bonis. Amicitia est nihil aliud nisi summa consensio divinarum atque humanarum rerum inter aliquos cum benevolentiâ et caritate. Nulla societas est præstantior, nulla firmor, quàm cùm viri boni, et similes moribus, sunt conjuncti familiaritate. Sine virtute amicitia existere non potest. Virtus, virtus, inquam, conciliat amicitias et conservat. Interdum videmus homines malos cupere eadem, odisse eadem, et metuere eadem; sed quæ dicitur amicitia inter bonos, hæc est factio inter malos.

Ibid.

CXLI.

Alexander, victo Dario apud Issum, præmisit ad captivas matrem et conjugem ejus quosdam e suis, qui nunciarent ipsum venire ad eas invisendas. Earum tabernaculum cum Hephæstione intravit. Is erat longè carissimus regi omnium amicorum ejus. Educatus est pariter cum ipso, et erat arbiter omnium secretorum. Fuit par regi ætate; sed præstabat habitu corporis. Ergo reginæ, ratæ illum esse regem, veneratæ sunt eum more Persarum. Inde Sysigambis, mater Darii accidit ad pedes Alexandri, excusans ignorationem. Quam ille, manu allevans, inquit, "Non errâsti, master: nam et hic est Alexander."

A. C. 333.

Quintus Curtius.

CXLII.

Ne rogemus amicum res turpes, nec faciamus rogati. Quæ videntur utilia, honores, divitiæ, voluptates, et cætera

ejusdem generis, hæc nunquam sunt anteponenda amicitiæ. At vir bonus haud faciet quidquam, aut contra rempublicam, aut contra jusjurandum, aut contra fidem, causâ amici.

A. C. 428. Pericles, vir egregius ingenio, et ornatus omnibus bonis disciplinis, tantùm fecit quod existimavit esse fas, causâ amici. Nam cùm amicus ejus rogaret eum, ut dejeraret falsum causâ illius, usus est his verbis ad eum; "Oportet me opitulari amicis, sed usque ad Deos."

Cicero.

CXLIII.

A. C. 456. Cimon Atheniensis fuit insignis et pietate in patrem et benevolentiâ in cives. Cùm haberet nihil quod posset dare, præter seipsum, ad redimendum jus sepulturæ parenti suo Miltiadi, qui conjectus fuerat in carcerem, et ibi mortuus erat; transtulit ejus vincula in se. Post

aliquot annos, è custodiâ emissus magnâ prudentiâ juris civilis et rei militaris, celeritèr pervenit ad principatum. In quo fuit tantâ liberalitate, ut, quum haberet hortos et prædia compluribus locis, nunquam imposuerit custodem in eis gratiâ servandi fructus; ne quis impediretur quo minùs frueretur ejus rebus.

Corn. Nepos.

CXLIV.

Erat planicies magna, et in eâ terreus tumulus satìs grandis. Hic locus aberat æquo ferè spatio ab utrisque castris. Eò, ut erat dictum, venerunt ad colloquium. Cæsar constituit legionem, quam devexerat equis, ducentis passibus ab eo tumulo. Equites item Ariovisti constiterunt pari intervallo. Ariovistus postulavit A. C. 58. ut colloquerentur ex equis, et adducerent denos, præter se, ad colloquium. Ubi eò, venerunt, Cæsar

initio orationis commemoravit sua beneficia in eum ; quòd appellatus esset rex et amicus a senatu, et quòd amplissima munera missa essent huic.

Cæsar.

CXLV.

Hoc prælio trans Rhenum nunciato, Suevi, qui venerant ad ripas Rheni, cœperunt reverti domum ; quos Ubii, qui incolunt proximi ad Rhenum, insecuti perterritos, occiderunt magnum numerum ex his. Cæsar, confectis duobus maximis bellis unâ æstate, deduxit exercitum in hiberna paulo maturiùs, quam tempus anni postulabat. Præposuit Labienum hibernis. Ipse profectus est in citeriorem Galliam ad conventus agendos. Quum esset ibi, certior factus est Belgas conjurare contra Romanum populum, et dare obsides inter se.

Ibid.

CXLVI.

Armis obsidibusque acceptis Crassus profectus est in fines Vocatium et Tarusatium. Tum verò barbari commoti, quòd cognoverant oppidum, munitum et naturâ loci, et manu, expugnatum esse paucis diebus, cæperunt dimittere legatos in omnes partes, conjurare, dare obsides inter se, et parare copias. Legati etiam mittuntur ad eas civitates, quæ sunt citerioris Hispaniæ, finitimæ Aquitaniæ. Inde auxilia ducesque arcessuntur; quorum adventu conantur gerere bellum magnâ cum auctoritate, et magnâ cum hominum multitudine.

Ibid.

CXLVII.

Hi duces deliguntur, qui unà cum Quinto Sertorio omnes annos fuerant, et existimabantur habere summam scientiam rei militaris. Hi, consuetudine populi Romani, instituunt capere loca, munire castra, et intercludere nostros

commeatibus. Quod ubi Crassus animadvertit, et cognovit suas copias, propter exiguitatem, non posse facilè dividi, hostem etiam vagari, et obsidere vias, et relinquere satìs præsidii castris, existimavit se non debere cunctari, quin decertare pugnâ. Hâc re deletâ ad consilium, ubi intellexit omnes sentire idem, constituit posterum diem pugnæ.

Ibid.

CXLVIII.

Cicero tribuit hanc eximiam laudem Cæsari, quòd non minùs fortitèr vicisset iram suam, quàm vicerat hostes. "Domuisti, Cæsar, gentes barbaras immanitate, innumerabiles multitudine, infinitas locis, abundantes omni genere copiarum. Sed tamen vicisti ea, quæ habebant et naturam et conditionem, ut possent vinci. Nulla enim vis est tanta, quæ non possit debilitari et frangi ferro ac viribus. Sed si quis sciat vincere animum, cohibere ira-

cundiam, temperare victoriam, ego non comparo eum summis viris, sed judico simillimum Deo." Bis vincit, qui se vincit in victoriâ. Iracundiam qui vincit, hostem superat maximum.

Cicero.

CXLIX.

At Hannibal anno tertio, postquam domo profugerat, accessit Africam cum quinque navibus, si fortè posset inducere Carthaginienses ad bellum spe fiduciâque Antiochi, cui jam persuaserat, ut proficisceretur in Italiam cum exercitibus. Huc excivit Magonem fratrem. Ubi Pœni resciverunt id, affecerunt Magonem eâdem pœnâ, quâ fratrem. Quum illi, desperatis rebus, solvissent naves, ac dedissent vela ventis, Hannibal ad Antiochum pervenit. Duplex memoria est prodita de interitu Magonis. Namque alii reliquerunt scriptum, eum periisse naufragio, alii a servis ipsius interfectum esse.

Corn. Nepos.

CL.

Antiochus autem si tàm voluisset parere consiliis ejus in agendo bello, quàm instituerat in suscipiendo, dimicâsset propiùs Tiberi quàm Thermopylis, de summâ imperii. Quem etsi Hannibal videbat conari multa stultè, tamen deseruit in nullâ re. Præfuit paucis navibus, quas jussus erat ducere ex Syriâ in Asiam, et conflixit cum his adversus classem Rhodiorum, in Pamphylio mari. Quâ multitudine adversariorum cùm copiæ ejus superarentur, ipse fuit superior cornu, quo gessit rem. Antiocho fugato, verens ne dederetur, Hannibal venit Cretam ad Gortynios, ut ibi consideraret, quò conferret se.

Ibid.

CLI.

Is videtur mihi vivere, et frui animâ, qui intentus aliquo negotio, quærit famam præclari facinoris, aut bonæ artis.

Sed in magnâ copiâ rerum, natura ostendit diversa itinera. Pulchrum est bene facere reipublicæ, etiam bene dicere haud est absurdum. Licet fieri clarum, vel pace, vel bello. Multi laudantur, et qui fecêre, et qui scripsêre facta aliorum. Sed videtur arduum mihi scribere res gestas; primùm, quòd facta sunt exæquanda dictis; dein, quià plerique putant delicta, quæ reprehenderis, dicta esse malevolentiâ et invidiâ.

Sallust.

CLII.

A. C. 62. Scripturus sum de conjuratione Catilinæ; de moribus cujus hominis pauca sunt explananda, priusquàm faciam initium narrandi. Lucius Catilina, natus nobili genere, fuit magnâ vi et animi et corporis, sed malo pravoque ingenio. Bella intestina, cædes, rapinæ, discordia civilis, fuêre grata huic ab adolescentiâ; ibique exercuit juventutem

Corpus fuit patiens inediæ, algoris, vigiliæ, suprà quàm est credibile cuiquam. Animus fuit audax, subdolus, varius, simulator ac dissimulator cujuslibet rei, appetens alieni, profusus sui, ardens in cupiditatibus. Habuit satìs eloquentiæ, sed parùm sapientiæ.— Vastus animus semper cupiebat immoderata, incredibilia, et nimis alta.

Ibid.

CLIII.

Trojani, sicut ego accepi, initio condiderunt atque habuerunt urbem Romam; qui profugi, Æneâ duce, vagabantur incertis sedibus; et cum his Aborigines, agreste genus hominum, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum. Postquàm hi convenêre in una mœnia, dispari genere, et dissimili linguâ, incredibile memoratu est, quàm facilè coaluerint. Sed postquàm civitas eorum aucta civibus, moribus, et agris, videbatur satis prospera, satisque pollens, invidia, orta est ex opulentiâ.

Igitur reges, et finitimi populi tentaverunt eos bello. Pauci ex amicis tulerunt auxilium iis. Nam cæteri, perculsi metu, aberant a periculis.

Ibid

CLIV.

Ubi respublica crevit labore atque justitiâ, reges magni domiti sunt bello; nationes feræ, et ingentes populi, vi subacti sunt. Carthago, æmula Romani imperii, a stirpe interiit; cuncta maria, terræque patebant; fortuna cœpit sævire ac miscere omnia. Qui facilè toleraverant labores, pericula, dubias atque asperas res, otium, et divitiæ, optandæ aliis, fuêre iis oneri miseriæque. Igitur primò cupido pecuniæ, dein imperii, crevit; ea fuêre quasi materies omnium malorum.—Namque avaritia subvertit fidem, probitatem, cæterasque bonas artes; pro his edocuit superbiam, crudelitatem. et negligere deos. Ambitio subegit mul-

tos mortales fieri falsos; habere aliud clausum in pectore, et aliud promptum in linguâ.

Ibid.

CLV.

Ambitio quoque subegit multos mortales æstimare amicitias et inimicitias, non ex re, sed ex commodo, et habere bonum vultum, magis quàm ingenium. Posteà, ubi contagio, quasi pestilentia, invasit; civitas immutata est: imperium ex justissimo atque optimo, factum est crudele et intolerandum. Sed primò ambitio exercebat animos hominum, màgis quàm avaritia; quod vitium tamen erat propius virtutem. Nam bonus, æquè ac ignavus, exoptat sibi gloriam, honorem, et imperium. Sed ille nititur verà viâ. Quia bonæ artes desunt huic, contendit dolis atque fallaciis. Avaritia habet studium pecuniæ, quam nemo sapiens concupivit. Ea est semper infinita et insa-

tiabilis. Neque minuitur copiâ, neque inopiâ. *Ibid.*

CLVI.

Nolite existimare, Patres Conscripti, dixit Cato, majores nostros fecisse rempublicam magnam ex parvâ armis. Si res ità esset, nos haberemus eam multò pulcherrimam; nam est major copia sociorum atque civium, præthereà armorum atque equorum, nobis, quàm illis. Sed fuere alia, quæ fecere illos magnos, nulla quorum sunt nobis; nempe, industria domi, justum imperium foris; animus liber in consulendo, neque obnoxius delicto, neque libidini. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam; pnblicè egestatem, privatim opulentiam. Est nullum discrimen inter bonos et malos. Ambitio possidet omnia præmia virtutis. Neque mirum est; ubi vos separatim, quisque sibi, capitis consilium; ubi domi servitis voluptatibus, hìc pecuniæ, aut gratiæ. *Ibid.*

CLVII.

Hannibal autem, vir callidissimus omnium, vidit se fore magno periculo, propter avaritiam Cretensiam. Nam portabat secum magnam pecuniam de quâ sciebat famam exiise. Itaque capit tale consilium. Complet complures amphoras plumbo, et operit summas auro argentoque. Deponit has in templo Dianæ, simulans se credere suas fortunas illorum fidei. His ductis in errorem, complet omnes æneas statuas suâ pecuniâ. Templum custoditur magnâ curâ non tàm à cæteris, quàm ab Hannibale, ne ille tolleret quid, his inscientibus, et asportaret secum. Sic Pœnus, illusis omnibus Cretensibus, et conservatis suis rebus, ad Prusiam in Pontum prevenit.

Ibid.

FINIS LECTIONUM.

Printed by J. Martin, Lymington.